

B. M. II, 134.

H. 2419

DISSERTATIO INAUGURALIS  
*De*  
PROCESSU  
JURIS PUBLICI,

QUAM

Annuente Summo Numine,  
EX AUTORITATE ET DECRETO AMPLISSIMI  
JCTORUM ORDINIS,

*In Illustri*  
*Academia Hasso-Schaumburgica,*  
PRÆSIDE  
DN. HENR. ERN. KESTNERO,

J.C. & P.P.

*PRO LICENTIA,*

SUMMOS in utroque JURE HONORES AC PRIVILEGIA  
DOCTORALIA solenniter consequendi,

*Publico MAGNIFICI SENATUS ACADEMICI*  
*examini submittit*

JOH. REINH. SCHOPMANN,

Catto-Cassellanus.

Ad diem Januar. An. 1712.

R. I. N. T. E. L. I. I.,

Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.



9.





# SECTIO I. DE PROCESSU JURIS PUBLICI IN GENERE.

## §. I.



Vamvis immutabilia Naturæ decreta certissima sint, & eandem, quæ ex his fluunt, positiva jura, statui cuiusvis Reipubl. accommodata, certitudinem ferme habeant, aut ad minimum habere debeant, mod̄ tamen, quo illud  $\pi$  suum cuique, velut immobile juris & æqui fundamentum, est dispensandum, sæpius & incertus, & multis cavillationibus solet esse obnoxius. Unicus Rerum publ., Regnorum, & Principatum constitutorum finis in sancta justitiae administratione, ejusque celerrimâ executione consistit. Sunt Reges & Principes Dei Vicarii, Dei in hisce terris vices tuituri. Quemadmodum igitur Deus justissimus est, & justitiæ orbem regi vult, ità sanctiores hi vicarii jura Dei vicario nomine expedire, & promissimam ubivis justitiam exercere debent. Quò purior verò justitia, ejusque sanctissima cultura est, quippe quæ Regnum firmamentum, & unicūm ferme refrænandæ hominum

*De certitu-  
dine jurie  
& proces-  
sus.*

A.

ma-

malitiæ repagulum est, eò magis detestandum, si inviolabiles justitiæ termini confunduntur, si non evertuntur; quin nulla major Reipubl. calamitas esse potest, quam quærum ex neglectu justitiæ, tum ex tædiosâ processuum diuturnitate, & nimio litigandi pruritu resultat. Utrumque igitur legibus salutaribus, Reipubl. utilitatem promoturis, expedientum, leges adeo justæ, modus suum consequendi celerrimus esse debet.

*Quid processus, quid jus publicum.*

§. II. Maximus sanè dicendi differendique campus semet sisteret, si, quomodo leges tum ferendæ, tum interpretandæ, tum applicandæ, qualive ordine & modo in judiciis, amputatis litium anfractibus, tractandæ, plenius inquirere vellemus, quod verò cum alibi à Dn. Præside tum in *tr. de Defect. Jur. Comm. in Germ.*, tum in *Conspictu Prudentia Legislatoria* factum, præsens saltem dissertationis thema, processum Juris Publici exhibutum, tangimus. Quod per processum nihil aliud, quam legitimus modus in judicio circa causam, in id deductam, à judice & partibus vitandæ confusionis gratia observandus, intelligatur, non potest non notissimum esse, quòd per Jus Publicum nexus ille, qui inter Imperantem & constatus intercedit, pacto conflatus, ex quo partes ex conventione, subditi verò ex lege tenentur, innatur, vix est dubitandum.

*De èminentia Imp. Rom. Germ. & necessitate judiciorum.*

§. III. Inter varia autem variorum Regnorum jura publica vix ullum eminentius & excellentius est, quam Jus Publicum Imp. Rom. German., quippe quod tum augustissimi capit is, tum ceterorum & potentiarum, & splendore, & dignitate maximâ maximè conspicuorum statuum jura & vinculum, quo invicem connectuntur, exhibet. Vix enim datur Regnum, in quo tot tantique summi Principes, qui meritò Imperii lumina & columnæ audiunt, reperiuntur, ac in Germania, ut adeò non incongruè hoc referas glorioissimum illud Gloriosissimi Maximiliani I. Imperatoris dictum, Imperatorem sc. Romanum Regum esse Regem. Quod verò

verò in systemate hoc augustissimo, quod ex variis statibus seu civitatibus componitur, quarum quælibet in territorio suo supremam exercet potestatem, salvo, quo quilibet status toti connectitur Imperio, nexus, omnia justo procedant ordine, nihil verò per vim & arma agatur, quippe quæ limites & fulcra Regnorum confundere, & statum quendam Cyclopum inducere solent, necessarium utique erat, ut legitima procedendi, & jus suum perséquendi ratio definiatur, inde rectè ait Paulus in *L. 176. ff. de R. I.* Non est singulis concedendum, quod per magistratum publicè possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi. Et cum nemo sibi ipsi jus dicere possit *t. t. C. ne quis in suâ causâ jud.* sed, propositâ competente actione, id, quod sibi debetur, coram judice in judicio prosequi debeat *pr. I. de act.* ideò recte constituta sunt judicia, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem. *L. 14. C. de Jud. & cœl.*

§ IV. Olim quidem, spretis justi & æqui terminis, in Germaniâ viam facti ubivis obtinuisse, plenius testatur *Rhenanus Rer. Germ. L. 2. c. 12.* Spectat huc, si antiquissima tempora respicias, das Faust- oder Kolben-Recht / ubi ad arma provocabant illum, cum quo jure experiendum erat, & qui superior ex pugnâ discessisset, vîctor quoque in causâ erat, & vîctus cedere bonistenebatur. Qui modus in *Speculo Saxonico lib. I. art. 63.* expressè approbatus, & plerumque siebat præsente atque aspiciente senatu, qui quidem ab initio omnem movebat lapidem ad eos ab hoc cruento lites decidendi modo deterrendos: eo autem non succedente, & locum eis tutum intra urbem assignabat, & defensionem. permittebat, ne qua ipsis injuria, aut vis fraudulenta inferretur. Et ita dimicantes, & jus suum cum violentia prosequentes ad mortem animum suum præparabant, feretrum. cum candelis, pannum funebrem, atque alia, funeribus usitata, sibi confici curabant, atque peccata sua seriâ, ut putabant, pœnitentia sacerdoti confitebantur. Sanctum enim quid atque

*De anti-  
quis Ger-  
manorum  
judicis.*

num inesse monomachiæ, Deumque ipsum hoc ipso medio de justitiâ causæ pronunciare existimabant. *Avent. Anal.*  
*Bojar. l. 4. c. 248. Freher. tom. 2. Germ. script. in pr. unde &*  
*has similesque probationes Gades Ordel / Göttes Urtheil /*  
*Latinè Ordalium, Urtella, Ardalium appellabant Olaus Worm.*  
*Dan. monum. l. 1. c. 4. Schottel. de antiqu. Jur. Germ. c. 28.* Inter-  
dum quoque non ipsæ partes, sed eorum loco alii dimicabant  
pugiles, qui alieni dissidij dirimendi causa operas suas loca-  
bant: Et cuius campio in arenâ vincebat, ab ejus partibus  
quoque stabat victoria causæ tit. 2. *L. Long. c. 77. 82. & 110.*  
*Gonzalez Tellez. ad tit. de purg. vulg. c. 2. conf. Besold. thes. pr. sub*  
*voce Fausti Recht und Selbts Gericht.* Imo successu tempo-  
ris non singuli contra singulos arma suscipiebant, sed integræ  
familiae sese conjungebant, & injurias, uni ex iis illatas, com-  
muni manu prosequebantur. Ita, ut qui unum ex propin-  
quis, & omnes adversos haberet. Ante ipsam tamen hosti-  
lem invasionem literas dissidiorias Absags-Zettel solenniter  
parti adversæ mittebant, quibus tantam adscribabant vir-  
tutem, ut his intimatis, omnia inimicorum bona summâ justi-  
tiâ occupari devastarique posse, sibi persuaderent *Lehman.*  
*Chron. Spir. l. 5. c. 112. Carpzov. prax. crim. c. 1. quaest. 35. §. 2. & 3.*  
Ab his injuriis ut securos se redderent ii, qui studio æqui bo-  
nique operam navabant, exstrebant sibi arces munitas, in  
quibus familiae suæ atque res pretiosæ ab ejusmodi invasio-  
nibus conservarentur, quas *Ganserben* *Schloßer* appellantur,  
de quibus *vid. Besold. sub voce Gan-Erben / Paarmeister de*  
*jurisd. Imper. l. 2. c. 8. n. 68. Rittersh. part. Fend. l. 1. c. 17. §. 2.*  
Et talis civium Imperii conditio esse cœpit præcipue tem-  
pore Interregni illius magni, ubi arma ubique, leges serè nun-  
quam dominabantur, & quisquis rapinis & deprædationis  
nibus, quantum poterat, occupabat. *vid. Lehman. Chron. Spir.*  
*l. 5. c. 95.* Cujus vestigia quoque se iterum tempore Wен-  
ceslai exseruerunt *Lehm. d. l. l. 7. c. 69. & 89.* & quanquam  
per subsequentes Cæsares hæc impunè grassandi licentia

com.

5

---

compressa est, non potuit tamen ita penitus extirpari, ut non exuviae quædam adhuc relinquenterentur. Hinc quoque in Aurea Bullâ dissidationes permisæ, alterumque per incendia, spolia, vel rapinas invadere concessum est, hâc saltem additâ limitatione, ut dissidatio tribus ante diebus dissidando intimeretur. *A. B. c. 17. §. 2.* Inde obligationibus inseri clausula poterat, dñs der Creditor wieder den Debitor mit Raub und Brand verfahren möchte. *Conf. Ill. Stryck. diff. de viâ facti Principibus permisâ. c. 1. §. 12. 13. & 14.*

§. V. Quod autem hic Germaniæ status miserrimus fuerit, nemo non videt. Cessante enim justitiâ, quid aliud sunt regna, quam mera latrocinia, & confusa aliqua turba, ubi nemo audit neminem. Hinc canones malo huic, rejectâ tali per duellum probatione, remedium attulerunt, agnatumque tum demum fuit, non esse hoc Dei iudicium, sed Dei tentationem, ut dicitur in *c. f. X. de purg.* & *c. 7. c. 2. quæst. §.* & vera homicidia, publicè probata, adeoque & sanguinem, hunc publicè luendum *conf. Dn. Coccej. diff. de prob. feud. c. 1.* §. 1. ubi hanc consuetudinem ferinam vocat. Verum perversissima hæc seculi consuetudo à glorioſiſimo Imperatore Maximiliano I. penitus sublata, & sub gravissimis poenis atque suppliciis fuit prohibita vid. *Der königl. Landfr. zu Worms anno 1495. Erklärung des Landfriedens zu Augspurg an. 1500. it. Räyserl. Landfr. zu Worms an. 1521. Erkl. des Landfr. zu Nurenberg an. 1522. item zu Augspurg an. 1576. 1578.* Id quod totius ejus regiminis opus fuisse excellentissimum, meritò asserit *Dn. Puffendorff. introd. ad Hist. l. 8. §. 12.* Accedunt publica Imperii judicia, quæ status respicere, & hisce semet submittere, non verò viâ facti procedere debent.

§. VI. Pristinis quidem temporibus, si inter status Imperii lis & controversia suboriretur, Imperator ipse judicia exercebat in levioribus per comitem palatii, aut immediate, *Eginhard. in vit. Car. M.* in gravioribus verò accitis Imperii Principibus & statibus, qui literis, sigillo Regio munitis, vocari

*Consuetudo  
hæc per ver-  
sa tandem  
sublata.*

*De intro-  
ductis in  
in Germa-  
nia jndi-  
cios.*

cari ad curiam, ubicunque haberetur, debebant, dato minimum sex septimanarum spatio, ut liquet ex Spec. Saxon. lib. 3. art. 64. ibi gebeut der König des Reichs Dienst oder Hoff mit Urtheiln/und läßt er das verkündigen den Fürsten mit seinen Briefen u. Insiegen 6. Wochen vorher Er werden soll/den sollen sie suchen im Deutschlanden/wo er ist 2c. Add. Lehman. Chron. Spir. lib. 5. c. 108. Gold. Reichs: conf. p. 2. ad ann. 1290. tit. 13. fol. 27. & cons. tem. 3. ann. 1247. §. 5. 9. fol. 403. conf. Illust. Dn. Coccej. Jurispr. publ. cap. 30. §. 5.

*De Judicio  
Camerali  
& aulico  
Imperii, ut  
& de Au-  
stregis.*

§. VII. Cum verò hoc modo non sine insigni statuum incommodo summi tribunalis sedes incerta, & cum Rege ambulatoria esset, tandem An. 1495. certum fixumque judicium factum est à Maximiliano I., institutâ communi Regis & statuum nomine atque autoritate Camera Imperii, in quam tunc omnis judicandi potestas collata videtur O. C. 1495. pr. Handhab des Fried. 1495. pr. & §. Wir wollen O. C. 1521. pr. O. C. a. 1555. p. 2. tit. 3. §. 1. & p. 2. tit. 27. R. A. de ann. 1524. §. 18. R. A. 1530. §. Dieweil nun unser Cammer: Ges richt das oberst und lebt Gericht 76. Gail. 1. observ. 41. num. 5. Reinking de Reg. Sec. & Eccles. l. 2. & 3. c. 14. §. 10. Deinde cum ad Imperatorem ipsum causæ quoque plurimæ ex Imperio deferruntur, illæ maximè sub Ferdin. I. permisæ sunt aulico ipsius judicio, quod certis legibus firmatum ab Imperio, ut alias, ità imprimis Pac. Osnab. art. 5. §. 4. §. 5. §. 6. dictumque fuit der Reichs Hoff Rath / unde à Secreto consilio aulico ita distinguitur der Kaiserl. Geheime / und des Reichs Hoff Rath. cap. Ferd. III. art. 43. Ne verò statuum causæ unius instantiae alea periclitarentur, subordinatum aliquod Regni judicium sc. Austregarum constitutum. Quo ipso tamen nihil præminentia ac excelsa superioritati territoriali detrahitur. Camera enim fundata est consensu communi omnium statuum, hinc ex spontanea submissione hæc stabilita est, non ex imperio, aut nudo iussu Imperatoris.


§. VIII.

*Quid sit  
processus  
juris publ-  
ci.*

§. VIII. In hisce igitur Imperii judiciis, cum statuum disceptationes ventilentur, oppidò patet, quòd processus juris publici nihil aliud sit, quam legitimus justusque ordo, mediante quo, controversiae, inter summas in Imperio personas obvenientes, pertractari & determinari debent. In hoc processu multa solis principibus propria, multa statuum subditis, quorum causæ per modum appellationis ad summa Imperii judicia devolvuntur, communia. Singula vero, cum publica lege & observantia constituta sint, ad processum juris publici non immerito referuntur. Et cum in omni processu tum materialia, tum formalia obveniant, illaque secundum leges, hæc secundum ordinationes, modum procedendi definientes, decidantur, de singulis pro ratione instituti acturi, & tum processum Austregarum, tum supremorum Imperii judiciorum in compendio visuri sumus.


§. IX. Maxima vero, si materialia respicias, quæstio est, secundum quod jus controversiae Principum decidenda sint. Quòd enim, si inter privatos disceptatio suboritur, tum provinciales leges, tum particulares provinciarum constitutiones, tum statuta generalia, tum jura communia Civile sc. & Canonicum, quatenus recepta, in decidendis causarum anfractibus attendi soleant, passim notum est. An vero idem in causis Principum, inter se disceptantium, fiat? disquiri meretur. Evidem, quod Jus Romanum concernit, de affirmativâ non videtur dubitandum. Cum enim Maximilianus I. anno 1495. consensu statuum Germanie statuisset, ut in Camerâ jus ex legibus Romanis diceretur vid. *Lehm. Chron. Spir. lib. 4. c. 21.* Id quod ex formulâ juramenti, ab Assessoriis ejus judicii præstandi, patet vid. *Ord. Cam. de ann. 1555. p. 1. tit 57. verb.* Nach des Reichs gemeinen Rechten/ per quæ sine dubio Romana jura intelliguntur: controversiae autem Principum omnes ad Cameram per appellationem devolvantur, sequitur, hos necessariò sese ad id obligasse. Se- cutæ deinceps sunt multæ Imperii constitutiones, quibus Jus Ro-

*An secun-  
dum Jus  
Romanum  
Principum  
controver-  
sia deci-  
dantur.*



Romanum confirmatum, atque ejus observantia in Camera stabilita fuit. vid. Ord. C. de anno 1500. §. Den Success der Dochter und Enckeln 18. verb. Nach laut gemeinen beschriebenen Kaiserl. Rechts rc. Constitutio Maximiliani vom Unterricht der Notarien anno 1512. §. Und nachdem von gemeinen Rechten O. C. de anno 1555. p. 1. tit. 13. auf des Reichs gemeinen Rechten & p. 2. tit. 3. g. f. R. I. de anno 1570. §. Nachdem auch in gemeinen Recht: Policey-Ordnung de anno 1577. tit. 13. verb. Dieweil solche Contraten in gemeinen beschriebenen Rechten hōchlich verbotten / R. I. de anno 1654. §. Benebens sollen 105. Cammer Richter rc. bei Administration der heilsamen Justiz sowohl die Statuta und Gewohnheiten / als die Reichs-Abschiede und gemeine Rechte vor Augen haben / und wohl beobachten. Idem quoque in judicio aulico observari, pariter ex juramento Assessorum Consiliariorumque elucet in verbis: Igige und Künftige des H. Röm. Reichs Constitutionen und Sazungen/ neben den gemeinen beschriebenen Rechten rc. in Acht zu nehmen. vid. Ord. Jud. Aul. tit. 7. sub formulā juramenti der Reichs-Hoff Rähte. Unde sub fine ejusdem ordinationis praecepitur, daß die Kaiserl. Wahl Capitulation, die Reichs-Abschiede/ Cammer-Gerichts-Ordnung rc. Corpus Juris Civilis & Canonici, und der Stände Privilegia auf der Reichs-Hoff Rähts Taffel/ damit man sich deren in zweifelhaftesten Fällen gebrauchen könne/ stets verhanden seyn sollen. Ex quibus omnibus satis constare putant, status quoque Imperii vinculis juris civilis se submisste, imò tantum abesse, ut jus hoc in Principes nostros vim suam non exserat, ut potius nullibi magis vigeat, quam inter Principes. Subditi enim mediati plerumque habent statuta regionum particularia, quibus reguntur, immediati autem, cum semel hoc jus per conventionem receperunt, stare cōtentur, ut extra casus, in constitutionibus Imperii expressos, ab eo recedere non possint.

§. X.



§. X. Quicquid tamen sit, nos contrariam potius sententiam statuimus, atque dicimus, Principum caulas & controversias qualescunque, tum publicas, tum privatas, sive inter se, sive cum ipsis privatis concertent, non ex Jure Romano, nisi ejus in hoc vel illo capite expressa receptio, tanquam exceptio, doceatur, sed ex Jure Naturae & divino, id est ex æquo & bono, quin & ex legibus fundamentalibus & consuetudine immemoriali determinandas esse, id quod speciali problemate, tractatu de defectibus juris communis in Germania inserto, pluribus rationibus demonstravit *Dn. Preses.* Et cum Jus Romanum inter ipsos quoque privatos non aliter tenet, nisi qua probetur receptum, cum in infinitis casibus non sit receptum, nec ullâ ratione ob diversitatem status tum Romani, tum Germanici, recipi potuerit, secundum ea, quæ *Dn. Preses* in d. tr. probl. 4. §. 9. plenius evincit, consequens est, quod controversiae Principum non aliter ex Jure Romano, nisi ejus receptio & demonstrari, & probari possit, sint decidendæ, adde, quod privati eorumque subditi, quibus à Principe suo pro libitu, proque utilitate Reipubl. leges præscribuntur, & rationibus Reipubl. accommodantur, longè melioris hæc ratione conditionis forent, quam ipsi Principes. Ne dicam, quam conturbatè legum Romanarum nexus & habitus semet habeat, & à rationibus genuinæ alicujus jurisprudentiæ, Germanis attemperandæ, recedat, sed & ad statum Reipubl. Germanicæ minimè quadret. Quadrat huc, quod eleganter monet summus quondam in Universitate Wittenbergensi *J. C. T. Zieglerus*, quando in prefatione notarum ad *Grotii opus de J. B. & P.* sequentem in modum incedit. Et, ni fallor, seculi nostri hæc labes est, quod in Academiis ad leges Romanas ita assuefieri cogantur juvenes, ut in omni controversiâ, etiam ubi inter summos Principes lis vertitur, non aliunde decisionem petendam credere oporteat, quam ex jure Romanorum, & legibus, isti uni Reipubl. accommodatis. Fac mihi jam talem publico regimini

B

*Ex quoju-  
re proprie  
Principium  
controver-  
sia deci-  
dantur,*

admovevi, & de lege condendâ deliberationem institui, subnixo ille animo leges, quas didicit, ad nauseam evomet, & Romanorum instituta, ut *τεμένων ιερα* observabit, nec admittet, legem novam aliter scribi. Sic igitur effectus omnes, e. gr. patriæ potestatis, moribus Romanis introductæ, matrem denegabit, quia scilicet, matrem liberos in potestate habere, noluit Respubl. Romana. At verò non amplius inter Romanos scribere oportuit legem, sed inter eos populos, qui du& Etum Naturæ fecuti utriusque parenti eandem deferunt potestatem, idem imperium, nisi quod in contentione imperiorum primas relinquant Patri. Sunt ejusmodi alia plura, nostræ Reipubl. Germanicæ minus convenientia, quæ, si quis in argumentum exhibere velit novæ legis, Germaniam in provinciæ formam redigere velle censemebit, victor, si Diis placet, scholasticus & umbratilis &c.

## SECTIO II. DE PROCESSU AUSTREGARUM.

### §. I.

*De Austregis & quid sint, & de ratione introductiōnis.*

**V**ocabulum *Austrag*, unde Austregæ deveniunt, nihil aliud est, quam causæ, præviâ cognitione, decisio, vulgo Entscheid oder Erörterung der Sache O. C. p. 1. tit. 30. §. 1. & p. 2. tit. 8. §. 1. 10. 14. 16. & p. 3. tit. 43. inf. N. A. 1555. §. 22. Possunt verò Austregæ latius definiri, quod sint legitima causæ, inter certos Imp. immediatos cives controversæ, coram judicib. ex lege Imperii, pacto familie, privilegio vel præscriptione electis, eum in finem, ut eorum sententiâ terminetur ac decidatur, instituta disceptatio *Schwed. part. spec. sect. 17. num. 4.* sumuntur vulgo pro ipsis quoque judicibus Austregarum, uti arbitria pro arbitris arg. l. 17. §. 1. l. 32. §. 18. ff. de recept. arb. judices igitur, ita constituti, dicuntur Austregæ à verbo



verbo austragen / quod idem est ac componere , decidere ,  
definire . Ratio autem , quæ Austregas induxit , potissimum  
in eo , prout jam visum est , consistit , quia immediati quidam  
valdè se gravabant , quod conventi , excludantur beneficio  
appellationis , dum unicā lis eorum instantiā perimitur , & sic  
longè deterioris conditionis sint , quām mediati eorumque  
proprii subditi , quippe qui tot instantiis gaudent , atque non  
dum probata probare , & non deducta deducere possunt :  
quare ad instantiam eorum optimè constitutum , ut certi  
possint eligi judices , qui , accedente legis autoritate , in primā  
instantiā de re cognoscant , eamque decident , die die Sache  
rechtlich austragen / oder entscheiden / quam rationem refert ipse  
*Carolus V. in privil. Norimb. tom. 6. Sympb. c. 7. Rum, ad Aur.*  
*Bull. p. 2. diff. 1. cor. 2. Dn. Coccej diff. de Austr. §. 3. Reink, de Reg.*  
*sec. l. 2. cl. 2. cap. 16. num. 6. & 7.* Finis igitur constitutarum in  
Imperio Austregarum est , ut Principes nostri plures habeant  
instantias , quibus jura sua diversis vicibus urgere , & per in-  
curiam omissa , aut per injuriā rejecta iterum recuperare  
ac deducere possint *O.C. p. 2. tit. 3. 4.* Sunt igitur Austregæ  
primæ instantiæ , nam si alia præcessit instantia , cessat gra-  
vamen , & ratio introductionis , quia appellatio sine eis quo-  
que competit , & ita perpetuo vocantur *O.C. p. 2. t. 4. §. 14.*  
*tit. 6. §. 1. tit. 8. §. pen.*

§. II. Sunt Austregæ vel conventionales , vel ordi-  
nationis , quæ illis deficientibus dantur . *O.C. an. 1495. tit. Wit-*  
*ChurFürsten* &c. Hæ , vel communes vel privilegiatae , quæ  
quibusdam civitatibus datae sunt . Illæ , si unius ejusdemque  
familiae sint , *Stamm-Austrage/Erb-Austrage/* appellitantur ,  
si vero plures separataeque Principum in Imperio familiae  
conventionales istiusmodi Austregas instituunt , vocantur *bes-*  
*dingte Austrage/* item *gewillführte* . Exempla refert *Illastr.*  
*Dn. Stryk, in diff. de Foro Princip. & Privat. communi n. 64. seqq.*  
quamdiu igitur conventionales Austregæ adsunt , coram his  
legitimū forum primæ instantiæ habent Principes , si verd

*De Divi-  
sione Au-  
stregarum.*

hæ cessant, tum demum ad Austregas legales recurritur, quippe quæ ex dispositione generali decretorum imperialium dependent. Confirmat hoc egregiè textus O.C.p.2. tit.2. §.1. Quo modo illæ Austregæ formentur, quæ personæ illis uti possint, & reliqua, ordine persequitur Ord. C.p.2. tit.2. Locum autem habent Austregæ I. cum Princeps à Principe convenitur. O.C.p.2.t.2. II. Cum Princeps à quolibet allo, etiam mediato, civitate, cive, rustico, judæo, subdito convenitur d.O.C.p.2. t.4. §.1. & f. Ad subditos autem tum demum pertinent, quando Princeps eos tanquā pars gravavit R.I. 1594 §.94. Si enim tanquā Magistratus vi ac jure potestatis suæ egit, hoc ipso jam prima fuit instantia, adeoque alia prima instantia, uti Austregæ, amplius esse non potest. III. Cum immediati nō Principes (non verò civitates) à Principe d.O.p.2. t.3. & 4. IV. Quando immediati non Principes ab invicem, non cum à mediatis convenientur d.O.C.t.5. Competit ergo hoc iudicium Austregarum ( exceptis civitatibus imperialibus ) omnibus immediatis Imperii statibus, qui bona sua & dependentiam immediate ab imperio habent, ut sunt Electores, Duces, Principes, Prælati, Abbates, Comites, Barones, Nobiles, immediate Imperio subjecti, in Franconia, Suevia, & ad tractum Rheni, & hoc semper intelligendum est de illis Prælati, Comitibus, Baronibus &c. qui bona & feuda immediate ab imperio recognoscunt.

§. III. Cum itaque inventæ sint Austregæ, ut immediati, ab aliis conventi, haberent beneficium appellationis, ideoque non aliis competunt, quam quibus sunt concessæ, quique allegatis ex ordinatione Camerali textibus comprehenduntur. Hoc forum enim dependet ex legibus publicis, ergo secundum illarum tenorem etiam iis tribuendum. Gaudent tamen jure Austregarum Ecclesiastici, etiamsi nondum investiti, sed canonice tantum electi vel postulari sint, cum Ecclesiasticis tantum tribuat electio, quantum secularibus sanguis, pactum & providentia. Sicut ergo ille, qui ex pæsto

*Quinam  
præterea  
gaudent  
Austregis.*

*Ecclesiasti-  
ci nondum  
investiti.*

pacto & providentiâ succedit, etiam ante impetratam investituram omnibus juribus gaudet, quæ antecessor habuit, ita hic quoque, qui à capitulo canonice est electus vel postulatus, vi cooptationis Cæsareæ ante investituram omnia jura, quæ antecessor habuit & exercuit, obtinebit: si ergo Ecclesiastici ante investituram titulum, nomen, & omnia jura, administrationi contigua, jure usurpent, nomenque Principis ab Imperatore & constatis sortiantur, quid mirum, eos etiam Austregarum gaudere privilegiis. Et cum electi ante investituram ad omnia onera, ad quæ reliqui status, obligati sint, quare nec privilegio Austregarum gaudebunt, cum secundum naturam sit, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda *l. 10. ff. d. R. I. c. 55. de R. I. in 6.* Neque idem Austregarum privilegium capitulo, sede vacante, dengandum, id quod sequentibus probare conamur rationibus. (1.) quia capitulo representat ipsam Ecclesiam, & est quidam senatus Ecclesie *c. 7. c. 16. q. 1.* cuius pars principalis est Episcopus, qui non solus, sed principaliter exercet jurisdictionem, adeoque, eo defuncto, quodam quasi jure accrescendi apud capitulo remanet. Cum ergo capitulo sit verus & perpetuus omnium ad Episcopatum pertinientium hæres, ejusque vices, exceptis merè personalibus, gerat, omnia quoque jura electo aut postulato per electionem defert. (2.) Feuda Imperii principalem dignitatem tribuentia, apud capitulo, sede vacante, permanent, unde & capitulares ~~des~~ *Griffits Erb-Herrn* dicuntur. (3.) capitulo sede vacante ad comitia & conventus vocatur, & per Syndicum vel Defensorem comparet. *Instr. Pac. art. 5. §. 6.* (4.) Si capitulo Austregas non haberet, Episcopus sede vacante institutam in camerâ litem in sui privilegii præjudicium ratam habere, & persequi cogeretur, vel Camera non permansuris ad definitivam frivole litibus fatigaretur. Cum igitur capitulo succedat in omnibus, quæ jurisdictionem Episcopalem concernunt, tam in temporalibus, quam spiritualibus, eaque omnia

*Capitulum  
sede va-  
cantie.*

omnia æquè ac ipse Episcopus expedire possit, meritò Austregarum jure gaudere debet. *Rumel. ad A. B. p. 2. dissert. I. concl. 3. conf. Illustr. Dn. Coccej. diss. de Austreg. p. 26.* Ipsí quoque ultrageniti die abgetheilte Herren / hoc Austregarum privilegio gaudebunt, cum hoc privilegium personale, non patrimoniale sit, at verò Status Imperii non qualitas patrimonii, sed dignitas personæ facit, quæ uti refert *Nic. Beths. de Paet. Illust. fam. c. 8. p. 436.* toti familie tribuitur, ut quicunque ex illa nascantur, ea sint prædicti. Daz alle die von den Stammen gebohren werden des Heil. Röm. Reichs Fürsten und Gräffen sind.

*In quibus causis locum habent Austregae.*

§ IV. Perspectis, quæ foro hoc Austregario in Imperio nostro utuntur, personis, dispiciendum venit, in quibus causis forum hoc Principes agnoscere teneantur, & dicimus, hoc in omnibus, nisi quæ expressè excipiuntur, causis tenere. Excipiuntur autem causæ spirituales, in his enim & Ecclesiastici & seculares Principes diversa agnoscunt fora & judicia. Evidem jurisdictionem in bona Episcoporum feudalia ac Regalia, non minus ac animadvertisendi potestatem in violatores pacis publicæ habet Imperator *vid. O. C. p. 2. t. 7.* Sed ratione personæ suæ, & quatenus ut Archi-Episcopi & Episcopi considerantur, Pontifici sublunt *Svveder. diss. de for. Illustr. Vici*ssim Augustanæ Confessionis status ac Principes peculiarem senatum, vulgo consistoria constituendi potestatem, publicis pactis confirmatam, habent, indeque ab hoc foro causæ matrimoniales eximuntur, cum enim Principes Evangelici in causis ecclesiasticis, quorum matrimonia referuntur, superiorem non agnoscant. *Conf. Illustr. Stryk. dissert. de Jure Papali Principum Evang.* hinc Principes in propriis suis consistoriis has causas ventilare, & huic semet submittere possunt, remitto, quoad hoc punctum, consiliariis obsequii & juramenti vinculo. Poterunt insuper Principes nostri majoris securitatis gratia, & ut toti orbi ed magis de justitiâ constet, exteros consulere, &, quod hodie frequentissimum est, insignes facul-

facultates Theologicas & Juridicas de consilio & suffragio sollicitare: Excipiuntur porrò causae *criminales* tum quia non sunt appellabiles. *O. C. p. 2. §. 18. R. 1530. §. 95.* tum quia imperium hoc est specialis concessionis *l. i. ff. de off. ejus.* Patet id ulterius tum ex formulâ requisitionis, in judicio Austregali fieri solitæ, quâ actor rogat reum, eumque requirit mit Ersuchung ihm recht zu pflegen *O. C. 1495. tit. Wir Churfürsten & tit. Wir Pralaten O. C. p. 2. t. 2. §. 1.* ridiculum autem est aliquem rogare, ut poenis & suppliciis se subjiciat, cum hæ sint obligations invitæ: Tum quia merum Imperium refertur hodie inter regalia: Tum denique ex d. tit. *Wir Pralaten in pr. ubi criminum nulla mentio.* Excipiuntur denique causæ *feudales* sive regalium feudorum, totaliter vel ab-vel adjudicandorum. Hæ Austregas & Cameram non admittunt *vid. O. C. p. 2. t. 7. §. Ob auch Sachen ic.* Quomodo ulterius Austregæ cessent, pleniū persequitur *Illust. Dn. Coccej. d. d. §. 14. & seqq. & injur. publ. cap. 32. §. 36.*

§. V. Superest, ut tum modum hujus judicij, tum processum ejusdem perspiciamus. Et quidem Austregarum ordinationis modus hic est (1.) si Principes inter se agant, actor nominat quatuor Principes, unde Reus unum eligit *O. C. p. 2. t. 2.* (2.) Si Princeps agit contra non Principem, aut (3.) si non Principes agunt inter se, actor tres Principes nominat, unde itidem reus unum eligit, vel actor commissarium à Cæsare petit *ibid. t. 3. §. 5.* (4.) Si non Princeps agat contra Principem, octo sunt viæ, quas ad duas classes reducere solent: Vel enim agunt coram consiliariis rei, ut in duabus primis & duabus ultimis viis *ibid. tit. 4. §. 5. 6. 12. 14.* vel coram alio, eoque vel Princepe electo, ut ante §. 5. vel commissario impetrato, ut ante §. 9. vel quinque §. 10. vel quatuor utrinque electis §. 11. *Dn. Coccej. dict. diff. §. 11.* Tres ramenta modi utilitatisimi sunt (1.) si actor 9. consiliarios ex Principis conventi consiliariis sibi judices constitui postulet, (2.) si actor commissarium a Cæsare postulet, (3.) ut reus

Prin-

*De Modo  
Austregarum.*

Princeps ad requisitionem actoris tres Principes non suscep-  
tos denominet, ut ex iis unum actor eligere possit.

*De Proces-  
su Austre-  
gali coram  
Principe.*

§. VI. Processus autem hujus judicij tum coram Prin-  
cipe, tum coram Commissario expediri solet. Ordo proce-  
dendi coram Princepe electo hic est. (1.) Actor requirit reum  
auf die Ausstrage/ datis ad eum literis, quibus omnia intentio-  
nis suæ capita una insinuat. O.C. p. 2. r. 2. pr. junct. p. 3. r. 12.  
§. 3. (2.) Reus intra quatuor septimanas à die insinuationis  
quatuor, ut dictum, diversæ familiae Principes, binos Ecclesia-  
sticos & binos Seculares, ut major delectus sit in favorem  
Principum nominat, alterique eosdem significat, ut unum  
ex illis pro judice nominare, & eligere possit, necessum ta-  
men est, ut hi Principes actu Regentes sint Regierende Herrn/  
quia hi soli habent curiam civilem, per quam de justitia causæ  
cognoscere possunt. In tribus posterioribus, de quibus §. 2.  
& §. actum casibus tres ejusdem familie sufficiunt Principes,  
sed ne ultra 12, & si Princeps à nobili vel privato convenitur,  
ne ultra 20, leucas ab actore dissiti sint, ob hujus sc. difficul-  
tatem. III. Vicissim actor intra 4 septimanas, à die acceptæ  
nominationis, ex illis quatuor Judicem eligat, & electum, qui  
halce partes suscipere tenetur, reo denunciet. IV. Uterque  
& actor & reus Judicem constitutum intra 14. dies proximas  
literis compellent, ut causæ cognitionem suscipiat. V. Elec-  
tus citat partes dato termino. Tum propere causam co-  
gnoscit & pronunciat. Si vero hic Judex electus ante defi-  
nitam litem vel moriatur, vel regens Princeps esse desinat,  
tum actor ex reliquis tribus nominatis Principibus alium,  
quem velit, in ejus locum eligendo surrogabit. Si vero Imper-  
ator pendente hac lite moriatur, neutquam hujus judicis  
delegati officium exprimat, cum potestas hæc, delegato data,  
non ab Imperatore, sed à communī statuto & statuum Imperii  
consensu perveniat.

*De Processu  
coram  
Commissa-  
rio.*

§. VII. Processus coram Commissario vulgaris &  
summarius est, 1. Requisitionem & 2. insinuationem sequitur  
3. cita-

3. Citatio actoris, à reo intra mensem facienda ad aulam suam  
*d. O.C. t. 4. §. 1.* 4. Salvus conductus, actori concedendus §. 2.  
 5. Collocatio Consiliariorum §. 7. & 1. 6. Horum mutua  
 jurisjurandi exactio §. 1. 7. Solutio à nexu, quo Principi  
 obligantur pendente causâ. §. 2. 8. Causæ cognitio, intra  
 semestre vel annale spatium, à tempore cognitionis seu litis  
 contestationis computandum, finienda: Ubi tempus, uti &  
 in citatione certum præfinitum est, secus ac in priori ordine,  
 ne Principis, qui idem quoque reus est, Consiliarii litem pro-  
 rogent, quod metuendum erat: Specialem quoque modum  
 exhibet *d. O.C. t. 4. §. 1. 4.*

§. VIII. Tametsi verò Austregæ nec delegati Prin-  
 cipis, vel iis similes, nec arbitri, etsi instar eorum fiant, sed  
 veri judices sint, lege dati *O.C. p. 2. tit. 1. & 2. & in rubr. t. 2. 3.*  
 4. §. voc. Richter. Constat tamen, Austregis nec propriè  
 jurisdictionem, nec executionem competere. Cum enim  
 Austregæ, die Illustræ tantum cognitiones & decisiones  
 causarum sint §. 1. Hinc ad eas non pertinet executio, nec  
 ullum planè imperium, quia hæc sub cognitione causæ non  
 continentur *t. 1. 5. pr. & §. 2. in f. f. de Re Jud.* Vocabulum Auss-  
 trag adeò nudam notionem, non executionem comprehen-  
 dit. Et cum instantia, quales sine dubio sunt Austregæ, sen-  
 tentia finiatur, non ergo complecti potest executionem,  
 quæ sequitur demum sententiam *t. pen. C. de execur. rei jud.*  
 Nec enim executio vi instantiæ fieri potest, quæ jam ante  
 executionem extincta fuit per sententiam. Quis enim sta-  
 tuet, consiliarios habere Imperium & executionem in Prin-  
 cipem suum, cuius sunt judices Austregales in casu *O.C. p. 2.*  
*t. 8.* Quid si electus judex multo sit imbecillior parte? Sed  
 & commissa est executio in status circulis, qui non Austre-  
 gis, sed soli Camerae & Imperatori parent. Erklärung des  
 Landfriedens *ann. 1522. tit. 1.* quæ lex inserta est *Ord. C. p. 13.*  
*tis. 48. R. I. ann. 1654. §. 15.* Porro cum Austregæ sint species  
 quædam arbitrorum, iis executio non competit *arg. t. 15. pr. ff.*

*Austregis  
 non com-  
 petit exe-  
 cutio,*

de Re Jud. l. s. C. de Recept. qui arbitr. seqq. Quæ omnia plenius persequitur *Illustr. Dn. Coccej.* in *disp. Speciali de Notione & execut. Austregarum.*

### SECTIO III. DE PROCESSU JUDICII CÆSA- REO AULICI.

#### §. I.

*De Nomine  
Judicij  
Aulici.*

**A**bsolutis Austregis, quæ primam statuum instantiam conficiunt, ad summa Imperii tribunalia, judicium nempe Cæsareum aulicum & Camerale, progredimur. Illud pari cum Camera potestate gaudet, ita, ut, quæ in hac moventur lites, ad judicium hoc pertrahi non possint. Vocatur Aulicum Räyserl. Reichs-Hoff-Räht/ non quasi cum ejusdem consilio sanctiori unum idemque sit, sed quod plurimumque in loco sit, ubi Cæsar animum residendi habet. *vid. Reichs-Hoff-Gerichts Ordin. tit. 1. s. 4.* In arbitrio enim Imperatoris est, an Senatum Aulicum secum ducere, an vero in alio loco illum relinquere velit, prout complura hujus rei exempla evidenter commonstrant. Quanquam vero hoc judicium vetustius Camera perhibetur, tamen ejus leges primum Ferdinandus Cæsar promulgavit *Ann. 1549.* Auxit Maximilianus II, plane innovavit Matthias *Ann. 1614.* cor-rectit ad statuum desideria Ferdinandus III, in Comitiis Ratisbonensibus *Ann. 1654.*

*A quo de-  
pendeat  
hoc Judi-  
cium.*

**§. II.** Judicij hujus autoritas à solo hactenus Imperatore pependit, cui etiam Juramento unice adstringuntur Assessores Judicij aulici *Rhetz. in Jur. Publ. l. 4. t. 4.* Interim tamen Moguntinus Vice-Cancellarium constituit, & juramento sibi devincit & Protonotarium ac Secretarios Cancellariæ



cellariae Imperii Cap. Joseph. art. 39. Potest etiam, necessitate exigente, & quoties ipsi opus videtur, visitationem Judicij Aulici instituere: vid. Instr. Pac. art. 5. §. 56. Quæ causæ solennis restorationis hujus Judicij fuerint? plenius tangit Monzamban. de Stat. Imper. c. 5. §. 21. quem tamen in eruditis ad hunc autorem annotationibus modeste perstringit Kulpinus. Nævos, defectus, & incommoda Judicij aulici exhibit Celeberrimus Autor Medit. ad Instr. Pac. O. in Mantissa 2. specimini 5. adjecta.

§. III. Quo ad modum in hoc Judicio procedendi præscripta quidem est peculiaris ordinatio, à solo Cæsare composita, quâ de vid. Autor der Grundfeste P. 3. l. 5. pag. 242. Sweder. Jur. Publ. part. spcc. sect. 1. cap. 12. §. 10. quin & præclarum Uffenbachii opus de Consilio Cesareo Imperiali Aulico heic conferri meretur. Interim tamen generalia hujus rei capita delibabimus. Cum vero plerumque causæ per modum appellationis ad hoc judicium delabantur. Atque hæc vel extraordinaria vel ordinaria sit. Constat, quod illi non aliter deferatur, nec processus appellationis decernantur, nisi prius verosimiliter probetur gravamen, & demonstretur, hoc a Magistratu tanquam judice illatum esse. Blum, in Proc. Cam. tit. 45. num. 2. In hâc, ubi quis per sententiam definitivam sive interlocutoriam, vim definitivæ habentem, gravatus fuerit, attendendum 1. An judex primæ instantiæ non sit prædictus beneficio seu privilegio de non appellando. 2. An summa appellabilis, in quam fors non usuræ imputantur, (excipiuntur jura, æstimationem non recipientia, vid. tamen R. I. Nov. 113.) Requiritur 3. immedietas judicis, h. e. ut judicans nullum se superiorum, nisi Imperatorem, cognoscat. Præterea appellatio gradatim fieri, & intra decendum interponi debet (solennia, post factam interpositionem observanda, que tamen variant, exponit Autor compendiose Introductionis ad praxin Augustissimi Judicij Cesareo-Imperialis Aulici c. 1. §. 5. & 6.) Deinceps vero appellans appellationem

De Modo  
procedendi  
in Judicio  
Aulico, &  
quæ causæ  
ad illam  
defera-  
tur?



intra trimestre a die interpositionis in hoc supremo judicio  
 introducere, de observatis solennitatibus essentialibus per  
 instrumentum appellationis authenticē docere, præfatum  
 instrumentum marginare, sententiam gravantem, aut, si  
 plures in eadem jam causa latae sint, omnes simul in forma  
 authenticā producere, & simul libellum gravaminū offer-  
 re necessum habet, quo factō, plerumque citatio, inhibitio,  
 & compulsoriales conjunctim decerni solent. Expeditis  
 processibus, incumbit parti appellanti eosdem ex Cancella-  
 ria erga congruam taxam intra quadrimestre a die interpo-  
 sitæ appellationis redimere, & tam judici à quo, quam parti  
 appellatae, & singulis, si plures interessatæ sint, per notarium  
 & testes insinuare, & iterum de novo acta, rationesque de-  
 cidendi requirere. Post insinuatos judici à quo & partibus  
 appellationis processus, iidem per supplicam intra bimestre  
 continuum, à die insinuationis computandum, sunt repro-  
 ducendi, quo tempore etiam acta & rationes decidendi ju-  
 dicis a quo, sigillo occlusa & munita, sunt exhibenda, simulque  
 mandatum generale procuratorium in duplo exhibendum.  
 Pars appellata pariter intra bimestre, si non parere, sed con-  
 tendere sibi congruum judicaverit, cum suis exceptionibus  
 comparere tenetur, & quidem salubriter in ultimo Recessu  
 Imperii §. Wann auch *sub pena præclusionis* statutum, ut in  
 causa appellationis cum dilatoriis etiam peremptoriæ even-  
 tualiter in primo termino opponantur. Idem obtinet in  
 processu mandatorum cum clausula, rescriptorum, citatio-  
 num, & nullitatis. Si pars appellata cum suis exceptionibus  
 in primo termino non compareat, tunc eidem datur alias  
 terminus bimestris ex officio, iatra quem si non comparuerit,  
 nec ulterius pro ulteriore prorogatione supplicarit, causa  
 in contumaciam concluditur, (nisi relevantes pars appellata  
 causas, quare non attulerit,) & tum appellans vel ad intro-  
 tulationem cause progreditur, vel adhuc, si quid ultra gra-  
 vamina & merita cause adducta proferendū, aut probandum  
 ha-



Habet, ulterius agit, parti vero appellatæ via totaliter ad agendum præcluditur. Poterit autem hæc mora, si appellatus ante decretam contumaciam excipiendo comparuerit, purgari, aut, causa ita exigente, vel dilatio vel prorogatio peti, id quod in toto processu in duplicis, triplicis, quadruplicis, submissione & conclusione plerumque observari solet.

§. IV. Quod si post interpositam rite appellationem aut judex aut pars appellata ulterius in cognoscendo, decernendo, exequendo, aut turbando progrediantur, atque istiusmodi attentata ab appellante sive ante, sive post conclusiōnem authentice doceantur. Judex appellationis per mandatum attentatorum revocatorum eadem nulla esse declarat, simulque attentanti eorum in certo termino revocationem ac redintegrationem pœnaliter injungit, cui si non fuerit satisfactum, aut ei exceptio sub- & obreptionis opposita, ulterius, & tandem arctius mandatum sub poena dupli, cum citatione ad yidendū, se incidisse in pœnam, prioribus mandatis insertam, decerni solet: si vero nec huic paruerit attentans, tum declaratio pœnae & paritoria, cum comminatione Banni (quamvis cum Principibus hocce in casu longe moderatius, quam cum aliis Imperii Statibus procedi & soleat & debeat) subsequitur, quo casu fiscus officium suum interponit. Appellans autem attentans appellationem censetur deseruisse. Per ea quæ tradit *Gail. lib. I. obs. 146. num. II. § 13.*

*De Atten-  
tatis.*

§. V. Facta inrotulatione actorum, Relatio & sententia frequentibus urgenda supplicis: modum referendi sistit, die Reichs-Hoff-Nahts Ordnung 15. S. I. In relatione respiendi ad habilitatem personarum, judicium constituentium. Videndum, an processus legitimo ordine institurus. An actoris, an rei merita causæ sint potiora? Si sententia à qua in judicio appellationis in totum confirmatur, appellans in expensas condemnatur, quæ, si partim confirmatoria, partim reformatoria subsequatur sententia, compensantur. Expensæ autem petantur, &, salvo moderamine judicis,

*de Relatio-  
ne actorum  
& expensis.*

ad-



adjudicentur, designatio earundem parti condemnatae ad excipendum communicatur, & punctus hic ad duplicas inclusive pervenire solet. Pars triumphans jurare debet, se non minus, sed potius plus summa adjudicata expendisse.


*De Dene-  
gata Justi-  
tia.*

§. VI. Ut causa ob denegatam vel protractam justitiam ad hoc judicium sit devoluta, requiritur 1. ut pars conquerens per documenta evidenter probet, justitiam vel protractam vel denegatam esse. 2. Ut denegantes vel protractantes immediate Imperio sint subiecti, vel causa alias eo spectet, licet judex non sit immediatus v. gr. pares Curiae. Priori casu, si denegetur justitia, solet decerni citatio contra partem ream, ut ad assumendum item in Judicio Imperiali aulico intra bimestre compareat, &c, si id negligit, sententia in contumaciam, ut in aliis processibus, pronunciatur *Ord. Cam. P.2. tit. 26. §. f.* Posteriori vero casu, si eadem protractatur, solent decerni promotoriales, quibus judici moroso, aut justitiam deneganti, tempus ordinarie unius mensis, quandoque tamen ob circumstantias rerum longius ad justitiam administrandam prescribitur, docente *Gail. lib. I. obs. 28. num. 7.* Quibus si non fuerit satis factum, ad instantiam auctoris Mandatum C.C. contra Judicem ad administrandum justitiam decernitur, cui si judex intra debitum tempus non paruerit, in poenam mandato insertam, declaratur, & arctius mandatum sub poena banni decernitur, atque si porro obstinatus sit, contumax ob contumaciam in bannum declaratur.

*De querela  
nullitatis.*

§. VII. Querela nullitatis est provocatio, qua consilium Imperiale aulicum, vel Judex Cameræ ad processum, in priori instantia nulliter institutum, aut ad sententiam, ab inferiore judice latam, rescindendam imploratur. Nullitas talis vel sanabilis vel insanabilis est, utraque vel ex ipsa sententia, vel processu oritur. Ex illa, si processus quidem recte institutus, sententia vero contra jura aut communia aut statutaria lata sit, si enim jus partis iudicatur iniqua dicitur, quæ

ap.



appellatione rescindenda, ex hoc, si processus secundum normam, in legibus præscriptam, institutus non est. Qualis nullitas tum ex persona Judicis, si bannitus, furiosus, imperitus, minorenus, suspectus, aut Jurisdictione destitutus sit, tum ex persona litigantium, si personam standi in Judicio non habent, vel ex substantialibus processus oritur, veluti si non adsit citatio, libelli oblatio, litis contestatio, probatio, conclusio, sententia, &c. potest etiam tum principaliter, tum incidenter intentari. Quo de vid. Gail. I. obs. 127. per tot.

§ VIII. Quanquam processum a præcepto & executione inchoare, Jure Communi regulariter prohibitum sit l. § 8. ff. de re jud. l. 1. ff. de exec. re iud. dantur tamen casus, ubi mandata cum clausula & sine clausula decernuntur. Mandatum cum clausula est, quod habet adjunctam clausulam justificatoriam, per quam parti reæ datur licentia intra certum terminum, ordinarie bimestrem, ad allegandas rationes, cur mandato, huic parere non possit, vel non teneatur, quo facto, factaque comparitione, hoc in simplicem citationem resolvitur. Mandatum sine clausula est, quod dicta clausula caret. Alia mandata inhibitoria, alia restitutoria, alia executoria sunt. Ut autem mandata hæc decernantur, requiriatur, ut reus convenientius sit immediate Jurisdictioni Cons. Imp. Aul. vel Cameræ Imperialis subjectus. Mandatum sine clausula tum decernitur, si (1.) factum per se de jure & consuetudine ita prohibitum sit, ut illud perpetratum, absque ulteriori causæ cognitione pro iniquo & puniendo habeatur, nec ullo jure justificari possit. Si (2.) damnum irreparabile inferat: si (3.) causa in perniciem Reipubl. tenderet (4.) si moram ferre nequeat. Plures causas suppeditat Blum. in Proc. Cam. t. 35 §. 75. Mandatum cum clausula in iis casibus decernitur, quorum facta quidem constitutionibus Imperii vel Juri Communi etiam adversantur, & iniqua apparent, ea tamen æqua & justa reddi possunt, nec sub supra enarratis casibus contineri videntur. Pignorationum constitutionis

De proces-  
su manda-  
ti, causis  
pignoratio-  
num, arre-  
storum &  
fracta pa-  
cis publica.

re-





requisita eo redeunt, ut (1.) pignorans & pignoratus immediate Imperio subjecti sint. (2.) Pignoratus sit in possessione illius Juris, cuius respectu pignoratio facta. (3.) Ut pignoratio facta sit novi juris acquirendi causa. (4.) Ut persona vel res pignorata sit innocens & tertia. Et (5.) ut fiat pignoratio ex causa Civili, non Criminali vid. Ord. Cam. P. 2. t. 22. Requisita constitutionis de arrestis sunt (1.) ut ambo, tam arrestans quam arrestatus, immediate Imperio sub sint (2.) ut arrestanti offeratur cautio de Judicio sisti, & judicatum solvi sufficiens, ille vero, hac neglecta, via facti nihilominus procedat. Et ut (3.) Arrestum sit impositum ob causam civilem, non criminalem. Ut autem actio auf den Landfrieden contra violatores competat, & summorum jurisdictionis tribunalium fundetur, requiritur (1.) ut vis illata sit publica (2.) armata manu, collectis atque coadunatis hominibus, cui resisti nequeat, ut violantes immediate Imperio subjecti sint.

*De Rescri-  
tis.*

§. IX. Rescripta alia poenalia, alia simplicia sunt, illa ubi hæc v. gr. verba inveniuntur, Als beschlien Wir euch hiermit gnädigst/ daß ihr innerhalb den nechsten 2. Monat bey Vermiedung Unserer Kaiserl. Ungnade den Supplicanten flaglos stellet: in simplicib<sup>z</sup> verba posteriora bey Vermiedung ic. omittuntur, & paritio solummodo nudè & simpliciter demandatur. Rescripta autem in iis casibus decernuntur, quando vel factum pro obtinendo mandato non est sufficiens, nec requisitis mandatorum correspondens, vel quando agitur contra Electores aut præcipuos Imperii Principes, cum quibus, licet factum, mandati requisita adæquet, mitius procedi, & loco mandatorum, rescripta decerni solent. Sedes hujus doctrinæ est in Ord. Jud. aul. Ferd. III. tit. 3. §. antepen. Decernuntur ad implorationem actoris tum paritoriae, tum executoriales poenales.

*De restitu-  
tione in  
integrum,  
& de revi-  
sione seu  
supplica-  
tione.*

§. X. Impugnantur sententiæ, a Consilio Imperiali aulico latæ, per remedium tum restitutionis in integrum, tum supplicationis sive revisionis. Ad restitutionem in integrum,

quæ

qua effectum suspensivum operatur, requiruntur novæ rationes, antea incognitæ, ubi jurare oportet, daß man von solchen vorher nichts gewußt oder zur Sach undienlich erachtet. 2. Ut remedium hoc intra quadriennium intentetur. 3. Ut juramentum ab Advocato & principali, vel saltem eorum procuratore juramentum dictum præstetur, & 4. Si a procuratore hoc juramentum peragendum sit, statim in libello mandata duo specialia, nempe unum à principali, alterum vero ab Advocato cause in hunc finem producantur. Denegato hoc beneficio, remedium supplicationis adhuc supereft, non viceversa. Ut vero revisionis, seu potius supplicationis, remedium locum habeat, requiritur. 1. Ut summa revisibilis sit, sc. tantæ quantitatis, quantâ pro introducenda appellatione opus. R. I. Nov. §. 127. 2. Ut intra quadrimestre continuum a die latæ, non vero insinuatæ sententiæ gravantis apud consilium Imperii aulicum queratur d. R. §. 125. 3. Ut sportulæ secundum designationē propriam dicti consilii deponantur, quarum tamen hæc est natura, ut si pars implorans seu impetrans justam causam habere, & per consequens sententiam reformari debere eveniat, ea iterum ad deponentem integræ revertantur; Sin vero sententia confirmetur, tunc dictæ sportulæ inter consiliarios veniant distribuenda. 4. Ut juramentum revisiorum sive calumniæ præstetur. Gravamina igitur intra prædictum tempus producenda, aut, si id fieri nequeat, prorogatio eo nomine petenda, quin & quis ad præfatum juramentum se offerre debet. Ea autem inter supplicationem & remedium restitutionis in integrum differentia intercedit, quod 1. Intentatu restitutionis in integrum remedium executionem sententiæ gravantis suspendat, beneficium vero supplicationis non, pars tamen executionē petens, parti, supplicationem introducenti, idoneam cautionem satisfactionis, & judicatum solvi in eventum victoriae judicialiter præstare tenetur, ut sic pars suppli-cans in futurum indemniss esse queat 2. quod ad restitutionem in integrum novæ rationes incognitæ, & nova documenta

D

re-

requirantur, ad supplicationem vero non. 3. In restitutione in integrum non exiguntur sportulae uti in supplicatorio re-medio 4. In restitutione in integrum manet idem judex, idem referens & correferens ad examinandam melius & rectius causam. In revisione vero aliis referens denominari solet a praeside. 5. Quod restitutionis in integrum fatale sit quadriennium, Revisionis vero quadrimestre.

*De Execu-tione sen-tentia.*

§. XI. Cæterum quod executionem sententiarum concernit, in causis mandatorum, rescriptorum, & citationis sive simplicis querelæ judicium aulicum per literas executorialis sub comminatione certæ pœnæ parti viæ, ut sententiae pareat, & intra certum tempus de paritione doceat, injungit. Paritione non secuta sæpe tres paritoriae, & post eas quandoque executoriales, sub pœna dupli, vel secuturæ realis executionis, quandoque mox commissio Directori Circuli (denen Creiß-ausschreibenden Fürsten) vel Judicii domicilii partis contumacis tam ad executionem causæ principalis, quam ad pœnæ, per contumaciam promeritæ, & declaratæ, decernitur. In causis Appellationis idem modus observatur, nisi quod loco mox dictæ commissionis mandatum pœnale de exequendo ad judicem prioris instantiæ emanare soleat. Et, si judex executionis hoc mandatum negligat, tunc vel arctius sub pœna dupli, vel rescriptum excitatorium (quod postremum etiam in causis mandatorum, rescriptorum & citationis erga negligentem commissarium usitatum est) decerni consvervit. Sed de his plenius egit, & formulas, in adductis materiis adhiberi solitas, adduxit laudatus Autor in *compendiosa introductione ad praxin Augustissimi Judicij Cesareo-Imperialis aulici*. Conferatur etiam *praxis Imperialis aulica compendium, collectum ex Recessu Imperii novissimo de anno 1645, capitulatione Leopold. & Joseph. & Decretis Consilii Imperialis Aulici*.

§. XII. Cum autem ad supremum hocce judicium aulicum extrema sit provocatio, nulla ulterior conceditur appellatio, hæc enim ab inferiore ad superiorem fit, jam vero judi-

*An à supre-mis judiciciis ad Came-ram} appel-lari posse?*



judicio aulico & Camerali nullum in Imperio judicium superius datur. Fuerunt quidem, qui ex ratione vana, aut certe superstitione, autumarunt, quasi ab Imperatore ad curiam Romanam appellari possit. Verum cum talis praetensa superioritas sit non ens, neque Pontificum potestas ullibi fundata, ita refutatione non egerint, quae dudum inconcussis refutata sunt argumentis. Omnes Clerici subjecti sunt Summae Pontestati. Ipse sanctissimus servator, cuius vicario nomine officium suum clericatus gerit, subjectus magistratui fuit, & nunquam sibi jus sympsit in Reges, an ergo plus potestatis potest esse in vicario, quam in principali? Docent præjudicia Cameræ, quod a tententiis Cameræ ad Pontificem appellantem, tanquam contemtores jurisdictionis Cæsaris & Imperii 100. Marcis puniri soleant.

§. XIII. Restaret quidem, ut pro instituti ratione processum Camerale angustis includamus & exhibeamus terminis, quoniam vero hic maximam cum processu judicij aulici Cæsarei habet affinitatem, nam idem in judicio aulico, ac in Camera, est processus *Pac. Osn. art. 5. §. 56.* & quoniam hunc processum præstantissimi Jcti Denaisius, Rödingius, Schwanemannus, Mindanus, Försterus & Bluhmius integris exornarunt scriptis, actum non agemus.

§. XIV. Imo, cum Jus Publicum in Universale & particulare distinguitur, illud autem, quid in regimine civitatum omnium vi Juris Naturalis fas & rectum est, seu nexum inter imperantes & subditos citra peculiares conventiones doceat, hoc vero, quid insuper in quavis Republ. de exercitio & restrictione jurium majestaticorum conventum sit, explicet, longe maxima de Processu Juris Publici Universalis differendi copia semet sisteret. Nam, quamvis quidem magna Regum principumque eminentia sit, ut neminem in his terris judicem agnoscent, nisi Deum, attamen dignum tanta Majestate crediderunt summi etiam imperantes, Legibus se alligatos profiteri. *L. Digna vox. 4. C. de LL.*

D 2

*De Processu  
Camerali  
remissive.*

*De Processu  
Juris Pu-  
blici Uni-  
versalis.*

Bo-



Bonus quippe Princeps haud deditnatur, sibi, salva Majestatis sue reverentia, jus cum privatis esse commune *l. ult.* *C. Theod. de Appell. & ibi Fac. Gothofred.* Inde porro manifestum fit, quod licet sublimis Regum ac Principum conditio longe supra legum civilium obligationem posita sit, plerumque tamen, quo Regis ad exemplum eo facilius compenerentur civium suorum actiones, sponte illorum tribunalium & judiciorum ordini semet subjecere videoas, in quibus subditis jus dici consuevit. Sic Augustissimum S. R. Imperii Caput Imperator sine judge in his terris vivere noluit. Dubitare nos hac de re non finit Carolus IV. Conditor A. B. quippe in cuius *cap. 5. §. f.* expresse constituit, ut Imperator vel Rex Romanorum super causis, pro quibus impetus fuerit, coram Comite Palatino respondere paratus sit: *Conf. Dn. de Rhetz Inst. Jur. Publ. lib. 1. t. 4. §. 64.* *Illustr. Dn. Coccejus Jur. Publ. cap. 16. §. 14.* Sic in Gallia ab omni ævo fuit observatum, ut ipsi Reges sua Majestate ac Potestate non indignum crediderint, etiam suas causas in disceptationem judiciale vocari, ubi per Procuratorem coram Parlamenti, & singulatim coram Parisiensi, respondent, teste *Gothofredo ad l. un. C. ne quis in sua causa jud.* Postea vero artibus Richelii ac Mazarini Cardinalium, & Regum Galliae ministrisimorum, autoritas parliamentorum valde immunita sub Ludovico XIII. & hodierno Ludovico XIV, adeo, ut usus eorum extra causas privatorum nunc amplius vix videatur. *Hisspaniarum Reges* nullo non tempore Tribunalium suorum autoritatem in propriis causis agnoverunt, & jus sibi æque ac privatis tribuendum curarunt. *Conf. Job. de Lacrt. de Regn. Hispan. cap. 5.* Egregia hujus rei exempla præbet *Anglia Regnum.* Quamvis enim Rex supremam Potestatem & merum Imperium habeat, nec in Imperii clientela sit, nec investituram ab alio accipiat, nec præter Deum superiorem agnoscat, prout loquitur *Camdenus in Britannia p. 142.* Attamen ea moderatione hanc suam.

Po-



Potestatem prudenter dispensat, ut in causis, quæ ipsius interesse attingunt, privatis & publicis, in superiorem ac inferiorem domum distincta parliamenta, utraque libenter Judices patiatur, vid. Thom. Schmitb. de Anglia l. 2. cap. 3. De Regibus Sueciae constat, ipsos non sibi ipsis jus dicere, quod speciem exorbitantis, & violenti modi sapere posset, sed per modum judiciorum ac legum, vi quarum sibi attribuendum curarunt illud, quod legibus ipsis competere judicant. Exemplum præbent notissimi illi de bonorum Domanialium vindicatione processus, non propria auctoritate, sed legum tenore instituti. In Dania Universum Regni Senatum, ex proceribus & juris peritissimis constanter, judicio præesse in causis, Regi cum alio intercedentibus, illumque ita legitimum forum suorum subditorum agnoscere, graviter testatur Henr. Arniseus de Jur. Maj. l. 1. cap. 6. num. 11. In Hungaria regno, etiam longo ac immemoriali tempore confirmata & sancte observata consuetudine invaluit, ut Reges Hungariae in causis, quæ ipsis & subditos attinent, privatis, recognoscant Judicem Palatinum Hungariae. Conf. Dn. Beccmannus in Histor. Civ. c. 9. §. 4. Hæc vero omnia, si etiam Principes, absoluta potestate gaudentes, consideremus, fluunt ex spoliis, submissione, & justi amore.

S. XV. Cum vero Summæ Potestates, inter se certantes, in hisce terris superiorem non agnoscant, res omnis bello expedienda. Quod enim in causis privatorum judicia, id in causis regum bella sunt, inducæ feriæ, victoria sententia est. Ideo enim bellum iuste geritur, ut jus suum, quod aliter non potest, Princeps recuperet, præliis igitur victorias, victoriis jus suum tueri, ac vindicare Princeps intendit. Sed hæc ad aliam plenioramque tractationem spectant. Interea fertilissimam hanc esse materiam, integra facile volumina completuram, nemo non vider. Cum vero non tractatum, sed generalissima saltem nobilissimæ hujus

De Processu  
Summarum Pote-  
statum  
cum Epi-  
logo.

ANIK 3496


hujus materiae, paucis verbis comprehensae, principia exhibere voluerim, vela dissertationis meae contraho, & me measque actiones DEO Triuni commendando, cui sit laus & gloria in eternum.

## COROLLARIA.

- J**us decidendi controversias ecclesiasticas soli Principi competit.
2. Non datur forma ecclesie seu monarchica, seu aristocratica, seu democratica.
3. Clausula investitura mit geistlichen und weltlichen Gerichten/ involvit sacerdotem Jus Patronatus & advocatice ecclesiasticae.
4. Clericus forum suum prorogare nequit.
5. Nulli, quam circuli Ducibus, competit in circulis executio mandatorum Imperialium.
6. Familiae Illustres, quae pacto confraternitatis de mutua successione sibi prospexerunt, eo nomine quoque ad legitimam tutelam admittuntur.
7. Tutela feudalismi matris & avia non deneganda.
8. Matrimonium inter fratres & sorores non est propriè contra Jus Naturæ.
9. Duci potest in Matrimonium Avunculi vidua.
10. Filius ad matrem viduam dotandam cogi nequit.
11. Pater tamen dotare cogitur filiam.
12. Ratihabito in matrimonio de Jure Romano iussiu non æquiparatur.
13. Filius familias de peculio adventitio irregulari testamentum condere nequit.
14. Non Usufructarius, cui omnium bonorum usufructus est legatus, sed hæres tenetur ad solvendum æ alienum, à defuncto contractum.
15. Debitor, qui se debere scit, etiam per quadraginta & plures annos non interpellatus, non prescribit, bene tamen hæres debitoris, debiti ignarus, breviori spatio.
16. Filius, qui opera & industria sua rem patris auxit, non est melioris conditionis quam fratres ejus & sorores, sed in æquas partes cum illis succedit arg. I. 13. C. fam. etc.
17. Rei immobilis non est depositum.
18. Si quis ab uno mortifere vulneratus, ab alio occisus sit, uterque tenetur de occiso.

42380002

B.I.G.



B.M. II. 134  
H. 24. 19

DISSERTATIO INAUGURALIS  
*De*  
**PROCESSU  
JURIS PUBLICI,**

QUAM

Annuente Summo Numine,  
EX AUTORITATE ET DECRETO AMPLISSIMI  
JCTORUM ORDINIS,

*In Illustri  
Academia Hasso-Schaumburgica,*  
PRÆSIDE  
**DN. HENR. ERN. KESTNERO,**  
JC. & P. P.  
**PRO LICENTIA,**

SUMMOS in utroque JURE HONORES AC PRIVILEGIA  
DOCTORALIA solenniter consequendi,  
*Publico MAGNIFICI SENATUS ACADEMICI*  
*examini submittit*

**JOH. REINH. SCHOPMANN,**

Catto-Caffellanus.

Ad diem Januar. An. 1712.

R I N T E L I I,

Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.

